



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Martinus Episcopus. 11. Novembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

destruentur: & ubi ceciderit arbor, ibi erit in æternum.  
 Hæc meditare, & cum tempus est, consule animæ tuæ.

**S. MARTINUS Episcopus.**

11. Novembr.

*Vigilate, & orate, ut non intretis in  
 tentationem; spiritus quidem  
 promptus est, caro autem infirma.*

Christus Matth cap 26.

**E**xistimaverat Martinus Neophytus etiam-  
 num, mediâ chlamyde suâ medium pau-  
 perem utcunque se texisse; sed in sequenti no-  
 cte totum eâ se vestisse Christum vidit: Pont.  
 Turonensis Divorum aspectu atque adeo fa-  
 miliaritate, Cœli præsertim Regina, inter  
 Theclæ & Agnetis comitatum, jucundissimè  
 perfruebatur. Bonorum Angelorum manu  
 palam adjutus, malorum fana & simulacra  
 subruit: Quanti Sacerdotii majestatem face-  
 ret, tunc ostendit, cum eam imperatoris an-  
 tehabuit, primùmque in epulo poculum præ-  
 bibens non Imp. Maximo, sed Sacerdoti suo  
 porrexit. Quin ipsam imperatricem famulam  
 ad mensam habuit, & tum hæc se basilicè vi-  
 xisse putavit, cum micis, quas reliquas fecit

Marti-



Martinus, vesci potuit. Orci præstigiatores, qui Christum ementitus, cætera habitu regio illi se obtulit, ita delusum demisit, ut diceret, alium nullum Christum se nosse, præter Crucifixum. Venienti ad se cùm Imp. Valentinianus assurgere negligeret, facere hoc assurgens è sede flamma coëgit. Extremum æger in fugam iterum dæmonem malum egit, uti lubens moriturus, ita ad majores labores, si Numini placeret, porrò victurus. Sed placuit huic Martinum inter beatarum mentium plausus cantusque ad se evocare; Conditionis tamen suæ memor non nisi cineri incubans mori voluit. At ex hoc cinere suus cœlo Phoenix prodiit. *Ex Sulp.*

M E D I T A T I O.

*De vita S. Martini.*

1. **T**antâ reverentiâ Deum colebat, ut nunquam voluerit in templo sedere: causam sciscitantibus respondebat, contremiscendû esse coram suo Judice. Quo honore, quo corporis habitu colis Jesum in Eucharistia? ibi divinitas corporaliter habitat, ut audiat preces tuas, tuâque faciat postulata; non autem ut videat impietatem, & immodestiam tuam.

2. S. Martinus oratione, jejunio, cilicio, & aliis id genus austeritatibus cœpti cujuslibet felicem exitum impetrabat; iis austeritatibus utaris oportet, si talem velis rerum tuarum finem. Deus jejuniiis, elemosy-



nis, & aliis piis operibus exoratur. Experire, confuge ad Deum in omnibus negotiis tuis, eaque ipsi commenda. Si nimium fidas prudentiæ ac viribus tuis, res tuæ non prosperè cadent. *Ne innitaris prudentia tua?*

3. Imminente morte, S. Martinus eo propemodum Spiritus fervore Deum orabat, quo orasset, si fuisset validis ac integris viribus; tunc indutus cilicio, humi in cineribus jacebat: Par est, inquiens, ut armatus moriatur miles. Nihilotamen minus ad eum tentator accessit: unde intellige, ad ultimum usque spiritum praliandum esse. Pœnitentiâ & oratione vincitur Dæmon, si tamen in utraque ad ultimum usque spiritum perseveretur. Petr. Bles.

## S. MARTINUS Papa & M.

12. Novembr.

*In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrigit pater.*

Paul. ad Hebr. cap. 12.

**M**artinus Tuderti in Umbria, nova lux mortus, vix Romæ in S. Petri cathedra collocatus est, cum, quod pastoris officium est, errantem Arriana hæresi ovem, Paulum Bizantii Patriarcham, reducere conatus est & sanare; at ille, non jam ovis, sed, sub|ovi-  
na